

No. 628. 1373. 8. Juli.

Ulrich von Wilandishain entscheidet als Commissar des Archidiaconus von Nisan einen Streit wegen Abgabe von Sack- oder Garbenzehnten.

In nomine domini amen. Nos Vlricus de Wilandishain, commissarius honorabilis viri domini Johannis de Droyniez archidiaconi Nisicensis, cognitor causae decimationalis, quae inter discretum virum dominum Johannem Grobir succentorem ecclesiae Misnensis actorem ex una, ac Martinum et Laurentium fratres rusticos de Poischin^{a)} reos parte ex altera vertitur, proposita petitione dicti actoris, qua petebat dictos reos compellere per nostram diffinitivam sententiam ad solutionem decimationis in manipulis dandae et solvendae, et responsione per dictos reos subsecuta dicendo et allegando, quod de iure dictam decimationem in modiis et in granis tritulatis solvere teneantur, testibus in dicta causa citatis et productis, receptis de veritate dicenda iuramentis, ipsis auditis et dictis eorum fideliter et diligenter examinatis et conscriptis, dictis testium publicatis, exceptionibus ac aliis iuris defensionibus renunciatis, partibus igitur petentibus et coram nobis concludentibus, termino ad audiendam nostram diffinitivam sententiam super propositis et productis coram nobis in praesentem diem assignato quia invenimus dictum Johannem actorem intentionem suam sufficienter probavisse et fundasse, igitur Christi nomine invocato pro tribunali sedentes, solum deum prae oculis habentes, praehabito iurisperitorum consilio diffiniendo pronunciamus et pronunciano diffinimus dei nomine in his scriptis, praefatos reos ipsi actori decimationem in manipulis solvere debere, condemnantes dictos reos dicto actori in expensis legitimis propter hoc factis, quarum taxationem nobis in posterum reservamus. Lecta et lata est haec diffinitiva sententia et in scriptis pronunciata Misnae in consistorio publico, ubi iura reddi consueverunt, anno domini M^o CCC^o LXXIII^o feria sexta, quae dies beati Kiliani et sociorum eius, nostri offic. sigillo praesentibus in testimonium subappenso.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Archidiaconus Johannes an einem Pergamentstreifen.

a) Pieschen, Par. Kaditz.

No. 629. 1373. 13. Juli.

B. Conrad bestätigt die vom Domherrn Nic. Münzmeister zu Spenden bei der Feier seines Jahrgedächtnisses und des Tages der h. Apollonia, dann zu nothwendigen Reparaturen an dem Kirchengebäude, dessen Bedachung und Fenstern bestimmte Schenkung eines Weinbergs, genannt der Schrammenberg.

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Conradus dei et apostolicae sedis gratia Misnensis ecclesiae episcopus, universis et singulis, ad quos praesentes pervenerint, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Dignum arbitramur etc. Notum esse volumus — quod honorabilis vir dominus Nycolaus Monetarii praepositus